



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

67 Excommunicatus non lucratur fructus aut emolumenta beneficiorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

in 6. l. quoties utriusque ff. eod. tit. d. cap. statuimus de major. & obed.

Quando autem dubitatur de juribus coadjutorum, semper forma coadjutoria est consideranda. Ioan. And. in c. si n. 8. & 9. de cl. agr. & Rot. in dec. Salam. coram Pegn. sub die 25. Iun. 1593. & cum hodie de stylo concedantur coadjutoria, tã in spiritualibus, quam temporalibus cum plena, libera, & omnimoda potestate, regulariter coadjutores omnia possunt, quæ possunt coadjuti, ut c. is cui de elec. in 6. & Old. conf. 44. num. 2.

65 Ideo, coadjutore infirmo, vel corporaliter legitime impedito, lucrabitur distributiones quotidianas. cap. unic. de cler. non resid. in 6. Abb. in c. 1. num. 7. de cler. agr. & Covar. in lib. 3. var. resolut. c. 13. num. 8. quia coadjutores regulariter residere, & inservire solent, secus autem de coadjuto, quia coadjutore ex causa, quæ excusat, absente, & coadjuto in infirmitate detento, non superlucratur distributiones quotidianas, cum enim integra valetudine non consueverit horis canonicis interesse, distributiones quotidianas superlucrari non potest. Abb. in d. cap. 1. num. 6. & Covar. post alios, quos citat. in eod. cap. 13. num. 8. vers. sexto hoc, coadjutor enim solitus horis canonicis interesse, distributiones in infirmitate lucratur, quia fingitur residere, sed fictio non habet locum in coadjuto, qui residere non solet, cum hoc æquitas non suadeat. Bart. in l. si quis pro emptore. n. 2. ff. de usucap. & Veral. decis. 289. n. 68. 9. par. 2. quæ procedunt etiam in impeditis, & legitimis impedimentis detentis, ut in d. c. uni. de cler. non resid. in 6. Covar. sub eod. n. 2. vers. 8. & Rot. coram

eod. Pegn. in ea. cau. Salmantin. sub die 20. Iunii. 1594.

66 Coadjuto infirmo, & excommunicato, quaeritur, an coadjutor pro eo distributiones quotidianas lucrari possit, cum enim coadjutor non agat, nec inserviat nomine excommunicati, sed nomine proprio, aut nomine Ecclesie, ut per Innocent. in cap. fin. in fin. de procur. Oldrad. consil. 44. & Compost. in cap. fin. n. 17. de cler. agro. videtur, affirmative respondendum, tamen veritas est in contrarium, quia Inno. affirmat excommunicationem coadjuti non nocere coadjutori, quominus suo, vel Ecclesie nomine, agere possit, & verba litterarum sunt ponderanda.

67 Si enim, in litteris coadjutoria diceretur, quod inservire deberet coadjutor pro coadjuto, & pro ipso coadjuto lucrari, hoc privilegium intelligeretur competere coadjuto, dummodo esset habilis, & capax, excommunicatus autem non lucratur fructus, aut emolumenta beneficiorum. cap. pastoralis. §. verum. de appellat. Rot. decis. 8. n. 10. de sens. excommu. in antiq. & Put. decis. 180. lib. 1. si vero coadjutori ex forma litterarum essent concessæ distributiones quotidianæ, & alia emolumenta superlucrari solita, tunc excommunicatio coadjuti, quominus coadjutor portionem sibi à Papa concessam percipere valeret, nocere non posset. Ioan. de Imol. inc. fin. in fin. de procur. & Rota in ead. causa Salmantina coram eod. Pegn. sub die 9. Iunii 1595.

68 Qui autem propter excommunicationem non potest per se aliquid agere, neque poterit per alium ad suam utilitatem c. fin. de procur. & ibi Imol. num. 6. satis enim esset indecorum, ut propter pro-